

IVONIS EPISCOPI
CARNOTENSIS
EPISTOLÆ.



EIVSDEM CHRONICON DE
Regibus Francorum.



PARISIIS,

Apud Sebastianum Nieuellum, sub Ciconiis, via Iacobæ.

M. D. LXXXIIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

dela Libreria

Coll Soc. Hist. Salam. ex dono Regis.





F R. I V R E T V S P.
PITHOE O V C. S.

ID ita natura comparatum est (Pithœe clariss.) ut parētum & liberorum similitudo magna sit. Nec enim liberi ore solo faciem suorum exscribunt, sed sæpius etiam statum & conditionem proximè imitantur. Eadem ratio scriptorum videri potest, cùm libri sint liberi veriores, prolésque animi longè certior. Nonnullis enim accidit auctoribus, ut cùm odiis ac iniuriis aliorum vexarentur, simul in eorum scripta sœvitum fuerit, ut in suppliciis liberorum pietas patristor queretur. Id autem cùm plurimorum exemplis confirmari possit, si tamen vnius Iuonis testimonio clarescat, satis erit, opinor. Et vellem ne tam inclementer Iuo exceptus fuisset, nec id claresceret. Ille quamdiu Pontifex Carnotensis, quia peccaret nihil, mul-



CHRONICON IVONIS CARNOTENSIS DE REGIBVS FRANCORVM.

Ex bibliotheca Papirij Massoni.

FRANCOS lingua Attica Valentianus imperator à feritate & duritia atque audacia vocari voluit, qui post paululum cùm tributa Romanis negarent, & Romanorum impetum ferre non possent, egressi à Sicambria peruenere in extremos fines Rheni fluminis in Germanorum oppida: ibique aliquot annis cum principibus suis Marcomiro & Sunone resederunt. Vbi primùm regem Pharamundum sibi statuunt, legibúsque se subdunt, quas primores eorū Vvisogastus, Arbogastus, Salegastus inuenerunt.

Pharamundus Rex primus Francorum. Niceta Viennensis episcopus Iustus Lugdunensis episcopus relicto episcopatu in Ægypto Anachoreta moritur, ossaque eius Lugdunum referuntur, ossaque Viatoris ministri eius. Martinus Turonorum episcopus miraculorum gloria insignis effusit.

Didio Pharamundi filius Rex Francorum secundus. Abhinc Franci crinitos Reges habere cœperunt. Eodem tempore Romani Gallias tenebant, citra Ligerim fluuium Gothi.

Clodio post Didionem Rex Francorum tertius. Hic de Thuringiorum finibus egressus Rhenum transiit, victoque Romano exercitu Carbonariam siluam tenuit, ibique sibi sedem statuit.

Meroueus post Clodianem Rex Francorum quartus. Metis à Francis succensa. Franci usque Aurelianos peruerterunt.

Childericus post Meroucum quintus regnauit annis xxiiii.

Vuu